




19



19

DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DE
Mundi Systemate & Elementis.

PRIMA:

2 V A M,

Favente Deo T. O. M.

S U B P RÆSIDIO

Clarissimi, Doctissimique Viri,

D. JOHANNIS DE RAEI, L.A.M.

Med. Doct. & Philosophiae, in inclytâ Batavorum

Acad. Leydensi Profess. Ordinarii celeberrimi,

Publicè ventilandam proponit

C A R O L U S L O T E N , Amstelodamensis.

Ad diem 21. Decemb. loco horisque solitis, ante merid.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM ELSEVIRIUM,
Academ. Typograph.
c I C L X I .

* 17035 Spectatissimo & Integerrimo Viro,

D. JOANNI LOOTEN, Mercatori in inclyto
emporio Amstelodamensi nominatissimo, Parenti
omni obseruantia colendo,

U T E T,

Clarissimo ac Doctissimo Viro,

D. ABRAHAMO HEIDANO, S. S. Theol.
Doctori, & Professori celeberrimo, Verbi Dei in Ec-
clesia Lugd. Batav. Pastori vigilantissimo, avunculo ob-
servando,

N E C N O N,

Eruditissimo & Celeberrimo Viro,

D. JOHANNI DE RAEI, A. L. M. Medicinæ
Doctori & Philosophiæ in alma Bat. Acad. Professori
ordinario, de studiis suis maximè merito, Præsidique
perpetim sibi colendo,

Theses hasce philosophicas

L. M. Q: dat, dicat, consecrat

C A R O L U S L O O T E N.

Respond.



DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

D E

Mundi Systemate & Elementis.

P R I M A.

T H E S I S I.

lementa quæ ad integratatem universi spectant & mundum adspectabilem constituunt, tria sunt: Primum, quod lumen emitit, & sydera constituit lucida. Secundum, quod lumen undique transmittit, ut Cœli faciunt. Tertium, quod lumen remittit, quia nec lucidum, nec luminosum, verum opacum est: quod Cometas, Planetas, & Terram quoque nostram componit.

II.

Lucidum sine pellucido nil nisi ignis, atque adeo ipsummet ignis *elementum* est: quod *primum* dicimus, quia origine & natura prius est, duobus reliquis elementis.

III.

Solem nil nisi ignem esse, nativum ejus lumen demonstrat.

IV.

Ne jam dicam de calore, quem interventu luminis produci, si luminosum corpus per se calidum non esset, quis intelligat?

V.

Et quid ni stellæ fixæ etiam totidem ignes sunt? cùm per immensa spacia, tam vividos mittant radios.

A 2

VI. Ari-

Aristoteles huic veritati, quam ipse sensus docet, se
opposuit; quia cœlestia corpora divina atque immorta-
lia & prorsus immutabilia esse fingebat.

VII.

Alii, quia non videbant, quo pacto ignes cœlestes
alantur & conserventur. Cum ignis in mundo sublunari
pabulo indigeat & facile extinguitur.

VIII.

At ignis cœlestis non magis divinus vel immutabilis
est, quam noster.

IX.

Nec etiam sine pabulo subsistit, vel semper idem ma-
net: verum fluminis instar perpetuo gignitur & fluit, quam
quam id præceleritate (& distantia) nos lateat. Ut pulchre
Aristoteles de nostro igne Lib. de juv. cap. v.

X.

Quanquam pabulum illius nullam similitudinem ha-
beat cum ignis in mundo sublunari pabulo.

XI.

Non enim aér, vel fumus, vel crassa materia combusti-
bilis est, quod ignes cœlestes alit. Sed ignis purus alias in
locum abeuntis continuo succedens.

XII.

Avolat & consumitur ignis cœlestis, non ut noster,
undiquaque ex syderis ambitu, sed ex medio inter
utrumque polum spacio. Ubi etiam fumos expellit & ne-
bulas componit, nubibus nostris non absimiles. Quæ vul-
go Solis maculæ dicuntur. Certo indicio, cœlestem ma-
teriam non minus generationi & corruptioni obnoxiam
esse, quam nostra sublunar is est. Nam & hæ maculæ diu
non durant, & quotidie generantur aliae.

XIII.

Ergo per has ipsas syderis lucidi partes , non accedit pabulum : sed per duas oppositas circum polares.

XIV.

Hinc circum polos in sole non visuntur maculæ , sed circum eclipticam tantum , ad insignem inter duos polos latitudinem usque .

XV.

Igitur materia ignium celestium , haud secus atque subcœlestium , summè fluida atque adeo minutissimè divisa & celerrimè agitata esse debet secundum minimas particulas .

XVI.

Quinimo adhuc celerior est motus in igne cœlesti puro , quam in impuro : qualis apud nos ob admistionem materiæ combustibilis est . Quia hujus crassities motui multum impedimenti adfert .

XVII.

Causa celerrimi motus est summa subtilitas : ob quam facile motum accipit & difficulter deponit .

XVIII.

Quanquam non sic infinitæ celeritatis esse possit ullus motus , ut infinitæ subtilitatis esse debet aliqua materia : quatenus actu divisa in infinitum est , si non tota , saltem ex parte .

XVIII.

Quia partes determinatæ magnitudinis ad figuræ inter se moveri non possunt , quin angulos intercipiant , quos à materia subtiliore repleri necesse est .

XIX.

Quod autem continuò subtilius esse debet eo quod subtilissimum supponitur , necessario sic divisum est , ut quolibet minimo , quod imaginatione possimus assequi , detur minus . Quod est divisum esse in infinitum .

XX.

Ergo ignis densissimus est , utpote undique plenus

sui: nihil alienum admittens, ad replenda intervalla quædam, quia nulla intervalla supersunt, ubi materia ita mobilis est, ut ea statim occupet, & simul ita divisibilis, vel divisa, ut ad omnes angustias continuò se accommodet.

XXI.

Sic sydus lucidem densissima quidem, at non durissima pars cœli erit: & errore magno ignis dicitur rarissimus. Cum densior auro & quolibet alio corpore sit.

XXII.

Etenim pellucida cœli ambientis materia, quæ secundum elementum constituit, pariter divisa & pari celeritate agitata non est.

XXIII.

Quia sic luceret & unum cum sydere lucido corpus faceret, omni ex parte igneum. Quod autem lucet luce propria, alieno lumine pellucidum non est: uti cœlum undiquaque esse debet, ob multitudinem syderum.

XXIV.

Etiam combureret consumeretque corpora, quæ ambit, pervadit aut attingit: Cometas, Planetas, Terram & si quid præterea in Cœlo sit.

XXV.

Ex adverso etiam unum, continuum, indivisum & secundum partes immotum non est cœlum, quod sydera interjacet, & ab invicem distinguit.

XXVI.

Quia sic nullum transmitteret lumen. Multò minus se toto pellucidum atq[ue] ipsummet luminis subiectum esset.

XXVII.

Nam luminis vis in motu sita est; quia movet.

XXVIII.

Et motus iste varius est, uti varii in lumine radii sunt, qui seorsim agunt.

XXIX.

Ut ergo cœlum pellucidum est, non ut vitrum, crystal-

lus,

lus, aqua velaer, secundum poros & intervalla, verum se toto secundum omnem suam substantiam: sic se toto & tota sua substantia, ex distinctis ac motis compositum est corpusculis.

X X X I.

Quæ corpuscula, si in infinitum divisa non sunt, ut in igne, determinatæ magnitudinis sunt, quæ non facile possit minui.

X X X II.

Quod autem determinatæ magnitudinis est, etiam figuram habet; quæ juxta cum magnitudine illa, ex cuius terminatione exurgit, etiam difficulter mutabilis est.

X X X III.

Figura autem non alia assumi, vel supponi debet in natura, quam quæ à naturalibus causis produci ac conservari intelligitur.

X X X IV.

Cujusmodi nulla præter sphæricam occurrit, in fluida ac mobili cœlorum materia: non pyramidalis, cubica, aut alia quæcunque, quæ in acutissimas margines & angulos definит.

X X X V.

Ob æqualem omni ex parte angulorum attritionem, quam continuus & varius motus facit.

X X X VI.

Sic cœli pellucida materia ex solidis ac indivisis globulis composita, crassior ac minus mobilis erit, quam lucida ignis & syderum materia.

X X X VII.

Erit etiam ratiор.

X X X VIII.

Non ob expansionem per majus spaciū sine intervallis, ut fingunt Aristotelici, nec ob divulsionem & intervalla vacua, ut credidisse putatur democritus: sed quia sic tota sui plena non est & omni ex parte continua, uti ignis ob suam subtilitatem est.

X X X IX.

Nam neque globuli neque ulla alia determinatæ magnitudi-

gnitudinis & figuræ corpuscula, inter se moveri possunt,
quin innumeris supersint anguli, quorum figura & magni-
tudo infinitis modis mutatur.

X L.

Proinde materia angulos illos interfluens etiam in-
finitis modis debet dividere ac infletere: ut ad innumerabiles
intervalorum angustias se accommodet.

X L I.

Quæ materia nulla est vel esse potest præter lignem
quem descripsimus. X L I I.

Ergo cœlum non corpus simplex, sed ex duplice ele-
mento compositum est. X L I I I.

Et utriusque fere tantundem requiri ad cœli constitu-
tionem, si propria ejus substantia ex globulis compona-
tur, ex eo conjicere licet vel demonstrare: quod quic-
quid spaciæ reliquum est circa globulos, ubi anguli abrasi
sunt, fere tantundem sit, quantum reliquum pro ipsis glo-
bulis est, si uni aliis sic incūmbere supponantur, ut saltem
quadrangularia intervalla supersint.

X L I V.

Per motum autem sæpe quidem junguntur proprius, ut
intervalla supersint triangularia: sed sæpe etiam laxius, ut
intervalla multo majora fiant.

X L V.

In quibus proinde plus subtilioris illius materia est,
quæ in sydere lucido accumulata ac seorsim existens lu-
minis, quod cœlum ex se ipso non habet causa est. At in
ipso cœlo lumen non excitat hæc lucida materia: quia tan-
tum in exiguis crassiorum corpusculorum intervallis existit.

C O R O L L A R I A.

1. An spiritus animales sint Lucidi? Quodlib. An pellucidi? Quodlib.
2. An bestie sentiant & animam à sanguine ac spiritu distinctam habeant? Quodlib.

F I N I S.

